Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31706
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift



men et exhibuistis. & exhibetis membra vestra seruire iustitie in sanctificationem. Sicut enim membra vestra seruistis immunditie & iniquitati ad iniquitatem. ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitie in sanctificationem. Cum enim seruissetis peccati liberi fuistis iustitie. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis. Nam finis illorum mors est. Nunc autem liberati a peccato. servi autem facti deo habetis fructum vestrum in sanctificationem. finem vero vitam eternam. Stipendia enim peccati mors. Gratia autem dei vita eterna in christo ihesu domino nostro. Aut ignoratis fratres. scientibus enim legem loquor. quia lex in homine dominatur quamdiu vivit. Nam mulier que habet virum sub lege alligata est legi viro suo. Quod si mortuus fuerit vir eius. soluta est a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera si fuerit cum alio viro. Quod si mortuus fuerit vir eius. liberata est a lege viri. Itaque fratres mei & vos mortificati estis legi per corpus christi. ut sitis alterius qui ex mortuis resurrexit. ut fructificemus deo. Cum enim essemus in carne. passiones peccatorum que per legem erant operabantur in membris nostris. ut fructificarent morti. Nunc autem soluti sumus a lege mortis in qua detinebamur. ita ut seruiamus in novitate spiritus & non in vetustate litteri. Quid ergo dicemus. lex peccatum est. Absit. Sed peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret. non concupisces. Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum est. Ego autem vivebam aliquando sine lege. Sed cum venisset mandatum peccatum revixit. Ego autem mortuus sum. Et inventum est mihi mandatum quod erat ad vitam hoc esse ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me. & per illud occidit. Itaque lex quidem sancta. & mandatum sanctum & iustum & bonum. Quod ergo bonum est mihi factum est mors. Absit. Sed peccatum. ut appareat peccatum. per bonum mihi operatum est mortem. ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. Scimus enim quia lex spiritualis est. Ego autem carnalis sum. venumdatus sub peccato. Quod enim operor non intelligo. Non enim quod volo bonum hoc ago. sed quod odi malum illud facio. Si autem quod nolo illud facio. consentio legi quoniam bona est. Nunc autem iam non ego operor illud. sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me hoc est in carne mea bonum. Nam velle adiacet mihi. perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo facio bonum. sed quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo illud facio. iam non ego operor illud. sed quod habitat in me peccatum. Invenio ergo legem volenti mihi facere bonum. quoniam mihi malum adiacet. Condelector enim legi dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis. repugnantem legi mentis mee. & captivantem me in lege peccati que est in membris meis. Infelix ego homo. quis me liberabit de corpore mortis huius. Gratia dei per ihesum christum dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi dei. carne autem legi peccati. Nichil ergo nunc damnationis est his qui sunt in christo ihesu. qui non secundum carnem ambulant. sed secundum spiritum. Lex enim spiritus vite in christo ihesu liberavit me a lege peccati & mortis. Nam quod impossibile erat legi in quo infirmabatur per carnem. deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati. & de peccato damnavit peccatum in carne. ut iustificatio legis impleretur in nobis qui non secundum carnem ambulamus. sed secundum spiritum. Qui enim secundum carnem sunt. que carnis sunt sapiunt. Qui autem secundum spiritum sunt. que spiritus sunt sapiunt. Prudentia enim carnis mors est. Prudentia autem spiritus vita & pax. Quoniam prudentia carnis inimica est in deum. Legi enim dei non est subiecta. nec enim potest. Qui autem carnem habent deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne. sed in spiritu. Si tamen spiritus dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum christi non habet hic non est eius. Si autem christus in vobis. corpus quidem mortuum est propter peccatum. spiritus vero vivit propter iustificationem. Quod si spiritus eius qui suscitavit ihesum a mortuis habitat in vobis. qui suscitavit ihesum christum a mortuis. vivificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Debitores sumus non carni ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis moriemini. Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis vivetis. Quicumque enim spiritu dei aguntur hi sunt filii dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore. sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus abba pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii dei. Si autem filii & heredes. heredes quidem dei. coheredes autem christi. si tamen compatimur ut & conglorificemur. Existimo enim quod non condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam que revelabitur in nobis. Nam exspectatio creature revelationem filiorum dei exspectat. Vanitati enim creatura subiecta est non volens. sed propter eum qui subiecit eam in spe. quia & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit & parturit usque adhuc. Non solum autem illa. sed & nos ipsi primitias spiritus habentes. & ipsi intra nos ingemiscimus adoptionem filiorum dei exspectantes redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem non est spes. quod enim videt quis quid sperat. Quod autem non videmus speramus. per patientiam exspectamus. Similiter autem & spiritus adiuvat infirmitatem nostram. Nam quid oremur sicut oportet nescimus. sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda scit quid desideret spiritus. quia secundum deum postulat pro sanctis. Scimus autem quoniam diligentibus deum omnia cooperantur in bonum. his qui secundum propositum vocati sunt sanctis. Quos enim presciit & predestinavit conformes fieri imaginis filii eius. ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem predestinavit hos & vocavit. Et quos vocavit hos & iustificavit. Quos autem iustificavit illos & glorificavit. Quid ergo dicemus ad hec. si deus pro nobis quis contra nos. Qui etiam proprio filio suo non pepercit. sed pro nobis omnibus tradidit illum. quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit. Quis accusabit adversus electos dei. deus qui iustificat. Quis est qui condemnet. christus ihesus qui mortuus est. imo qui & resurrexit. qui est ad dexteram dei. qui etiam interpellat pro nobis. Quis nos separabit a caritate christi. tribulatio an angustia an fames an nuditas an periculum an persecutio an gladius. Sicut scriptum est. quoniam propter te mortificamur tota die. estimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors neque vita neque angeli neque principatus neque virtutes neque instantia neque futura neque fortitudo neque altitudo neque profundum neque creatura alia poterit nos separare a caritate dei que est in christo ihesu domino nostro.

III.

Fili accedens ad seruitutem dei sta in iustitia & timore dei. & para animam tuam ad temptationem. Rursum ide lacob loquitur. Estote factores verbi & non auditores. Si quis auditor est verbi & non factor. iste similis erit viro qui considerat vultum nativitatis sue in aqua aut in speculo. Considerauit enim se & abiit & statim recedens oblitus est qualis fuerit. Frustra monuit ut iungerent opa fidei. si post baptisma peccare non poterant. Qui tota vita legem seruauerit & peccauerit in uno factus est omnium reus. Quis mundus a sorde. nec si unius diei fuerit infans. Conclusit deus omnia sub peccato ut omnium misereatur. Petrus quoque monuit in quit dominus prohos de temptatione eripere. & de falsis doctoribus. Hi sunt fontes sine aqua. & nebule turbinibus exagitate. quibus caligo tenebrarum reseruatur. Superbia enim vanitatis loquentes pellicent in desideriis carnis & luxurie eos qui paululum effugerant. & ab errore reuersi sunt. Non ne tui dicet prouerbii sermo aplicus nouam imprie factionem. Aput enim gloriosi fontes scientie. quia que non habent doctrinarum pretium ymbrem. uelut nubes propice. ad quas non poterit uertas dei. & turbinibus exagitant demonum. atque uiciorum. Locum grandia. & tumor eorum sermo superbie est. Inmundus est aut apud dominum omnis qui exaltat cor suum. ut qui paululum refugerant aperatus. ad suum reuertantur errorem. & suadent in luxuria ciborum carnisque de